



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1763**

**VD18 90118022**

§. 19. Richardus I. Rex Angliæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66394](#)

## §. XIX.

Sæcul. XII.  
A.C. 1189.*Richardus I. Rex Angliæ.*

Richardus Comes Pictaviensis Henrici *Rog p. 656.*  
filius tunc natu maximus patri in *Rad. Duc.*  
toto Regno successit, ac annis decem *p. 646.*  
sceptrum tenuit. Comperto, parentem *Jo. Brompt.*  
fatis functum, Rotomagum contendit, *p. 1155.*  
ut Dux Normanniæ salutaretur, atque i-  
sta solemnia die Jovis, in Festo S. Mar-  
garitæ, vigesima Julii, anno millesimo  
centesimo octogesimo nono, in Ecclesia  
Dominæ Nostræ, Episcopis, Comitibus,  
& illius provinciæ Baronibus præsenti-  
bus, peracta sunt. Richardus de Altari  
gladium Ducalem tult, quo ab Archiepi-  
scopo Gualterio præcinctus, etiam Ve-  
xillum de ejus manu accepit.

Tum Dux Normanniæ, die Domini-  
ca ante Assumptionem, decima tertia *Rog. p. 655.*  
Augusti, in Angliam delatus, cum Eccle-  
sia Archiepiscopalís Eboracensis ab obi- *Sup. lib.*  
tu Rogerii jam annos octo vacasset, eam *LXXIII.*  
*§. 34.*

Godefrido fratri suo, ex patris sui pelli-  
ce nato, contulit, qui Episcopus Lincol-  
niensis electus sed non ordinatus fuerat.  
Electus est vero a Canonicis Eboracen-  
sibus, Bartholomæo Huberti Gualterii,  
eiusdem Ecclesiæ Decani Mandatario,  
frustra reclamante, qui tam ante quam  
post electionem peractam ad Papam ap-  
pellavit, quod illi, quibus prima suffra-

Q 2

gia

Sæcul. XII  
A.C. 1189.

gia competebant, scilicet Episcopus Dunelmensis & Decanus Eboracensis absent. Et Canonici quidem a proposito non dimovebantur, sed Richardus Dux præcepit, ut omnia in illo statu relinquuntur, in quo, cum pater suus moreretur, fuissent, nempe spiritualia Decanus & temporalia Ducis præfecti administrarent.

Richardus Dux, nam priusquam unctionem Regiam accepisset, hoc nomine ab omnibus appellabatur, deinde Londonum venit, ubi Episcopis & Regni Principibus præsentibus, solemnni ritu, in Ecclesia Westmonasteriensi, die Dominicæ, tertia Septembris, a Balduino Archepiscopo Cantuariensi, Archiepiscopis tribus, Gualterio Rotomagensi, Joanne Dublinensi, & Volmario Trevirensi assistentibus, consecratus est. Trevirensem e Sede sua ejecerat Fridericus Imperator, Rudolpho ejus æmulo, ut retulimus, favens. Ceterum Volmarus eodem anno in Anglia mortem oppetiit, atque ad S. Andream Northamptonii sepultus est. Præterea cum Richardus inauguraretur, Episcopi quatuordecim & ferme omnes Abbates Pioresque adfuere. Rex ante Altare juramento se obstrinxit, quod pacem & honorem Ecclesiæ, quoad viveret, tueri vellet, deinde Justitiam populo suo administrare,

*Sup. n. 3.  
Radulf.  
p. 648.*

xias leges & perversas consuetudines ab- Sæcul. XII.  
olere, melioresque invehere. Quibus A.C. 1189.  
peractis Balduinus Archiepiscopus, ut  
mos est, Regem unxit, & vestibus Regiis  
induto gladium ad reprimendos Eccle-  
siae hostes tradidit. Richardus coronam  
suis manibus de Altari sumtam dedit Ar-  
chiepiscopo, qui eamdem Regio capiti  
imposuit.

### §. XX.

#### *Seditio in Judæos commota.*

Post Missæ solemnia itum est ad convi- Matth. Par.  
vium, ubi Episcopi cum Rege sede- p. 128.  
bant, Principibus ministrantibus. Jus-  
serat vero Rex a præcone in urbe de Jo. Brompt.  
nunciari, ne illa die vel Judæi vel semi- p. 1159.  
næ Regiam intrarent, ut veneficia devi-  
taret, a quorum suspicione non aberant.  
Nihilominus Rege mensæ accumbente  
adsunt ad portam Judæi, dona ferentes.  
Mox Christianorum aliquis Judæo co-  
laphum impegit, ut ab ingressu arceret;  
alii, hujus exemplo excitati, Hebræos  
ferociter depellunt. Concurrunt de  
populo multi, qui putantes, id Regem  
jussisse, Judæis magno numero ad fores  
Palatii stantibus manus injiciunt, initio  
pugnis agebatur, tum saxis & fustibus.  
Judæorum non nulli peremti, alii semi-  
vivi jacebant. Quidam eorum, nomi-  
ne Benedictus, Judæus Eboracensis, tam

Q. 3

male